



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Capvt VIII. De Sacramento Matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

CAPVT VIII.

De Sacramento Matrimonii.

SECTIO I.

Vtrum Matrimonium sit Sacramentum.

MATRIMONII nomine (ut docet Catech. Rom. part. 2. cap. 8.) intelligitur legitima viri, ac mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens. Dicitur autem (Matrimonium) vel, quia fœmina eo præsertim sine nubis; ut mater fiat; vel quia prolem concipere, parere, educare, ad matrem præsertim spectat. Vocatur etiam (conjugium) eò quòd virum, ac mulierem sub uno, eodemque quasi mutuo jugo ad fidem seruandam, & onera Matrimonii sustinenda constituat. Nuptiarum quoque nomine nuncupatur; quia (ut observat S. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 9.) virgines tradendæ in matrimonium velo se operire, & quasi obnubere solebant, idque in signum tum pudoris, tum etiam subjectionis erga virum.

Est autem triplex Matrimonium, scilicet legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum dicitur illud, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est; quale olim erat ante Christi Domini aduentum, & etiam nunc inter ethnicos, & infideles esse solet. Ratum includit in se legitimum, addit verò rationem Sacramenti, per quod majorem firmitatem, & indissolubilitatem acquirit: unde Innoc. III. in cap. *Quanto de divortiiis*; etsi inquit, *Matrimonium verum inter fideles existat, non ta-*

men est ratum: quia (ut ait Gløssa) potest dissolvi; inter fideles autem non tantum legitimum, sed & ratum existit, ac proinde indissolubile Denique Matrimonium dicitur consummatum, quod reali corporis usu, & legitima copula perficitur, & completur.

In prima quidem mundi conditione Matrimonium Deo institutum est, tanquam officium naturæ, ut docet Catech. Rom. suprà: at verò in ipsius mundi instauratione per Christum facta, Sacramenti dignitas illi adiuncta est; ita ut Matrimonium, quod inter fideles legitime contrahitur, sit ex ipsius Christi Domini institutione, verum, ac proprie dictum novæ legis Sacramentum. Hæc veritas quæ de fide est.

Probat 1. autoritate scripturæ; Eph. 5. ubi Apostolus de Matrimonio loquens, *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia*; quæ Apostoli verba explicans S. Aug. lib. 1. de Nuptiis & Concup. cap. 21. *hoc Sacramentum inquit, in Christo, & in Ecclesia magnum; in singulis quibusque viris, atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum*; quibus verbis docet, Matrimonium esse Sacramentum magnum quidem, quatenus Christi cum Ecclesia conjunctionem significat; minimum verò in dignitate, si conferatur cum aliis Sacramentis; unde & ultimo loco numeratur.

Probat 2. ex Conc. Florent. in decr. Eug. & in Trid. sess. 24. can. 1. ubi eadem veritas definita est.

Probat 3. ex SS. Patribus, qui Matrimonium Sacramenti nomine vocant; ei que proprium Sacramenti effectum, gratiam scilicet tribuunt; ut S. Amb. lib. 1. de Abrah. ham cap. 7. ubi dicit Deum esse *Veluti Præsalem cuiusmodi conjugii, & c. eumque, qui conjugii thorum polluit, peccare Deum, cuius gratiam solvere; ac Sacramenti cælestis amicitie consortium*: S. Aug. lib. cap. 18. *In nostratum inquit, nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri*. lib. de fide & operibus cap. 7. *In Ecclesia inquit, nuptiatum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita com-*

mendatur; ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.

Cum igitur ex fide constet, Matrimonium esse Sacramentum; & aliunde habeatur (ut supra dictum est) Sacramenta novæ legis constare materia, & forma.

Quæritur 1. quæ sit hujus Sacramenti materia, & forma. Omittis variis Theologorum super hac quaestione sententiis, probabilissima omnium videtur ea, quæ asserit, materiam remotam Matrimonii, esse corpora ipsorum contrahentium; proximam verò, mutuum eorumdem corporum traditionem verbis, seu nuptibus consensum interiore exprimentibus factam: formam denique mutuum ipsorum met corporum acceptationem à contrahentibus similiter factam. Huic sententiæ (quam variis argumentis propugnat Isamb. disp. 4. de Matrim. art. 2.) aperte favet S. Doctor in supplem. q. 45. a. 2. ubi docet, mutuum corporum traditionem ita se habere ad Matrimonium, sicut se habet ablutio ad Baptismum. Quod si secundum illius mentem mutua traditio corporum est materia ipsius Matrimonii, sequitur, quod eorumdem corporum mutua acceptatio sit ejusdem Matrimonii forma; sicut in contractu donationis traditio rei censetur quasi materia contractus, acceptatio verò quasi forma; cum præsertim ab acceptatione contractus ipsius validitas, & firmitas pendeat.

Quæritur 2. quis sit hujus Sacramenti minister. Resp. esse ipsosmet contrahentes sibi mutuo materiam & formam applicantes. Ita Sotus, & alii, quos citat, & sequitur Vivaldus in Candelabro aureo tit. 17. de Sacram. Matrim. Bellarm. l. 1. de Matr. cap. 6. & Petr. de Ledesma. tract. de Matrim. cap. 2. ubi hanc sententiam post Conc. Trid. communem esse Theologorum asserit: unde sequitur, Parochum, aut alium Sacerdotem, eius nomine Matrimonio assistentem, non esse ministrum, sed solummodo testem principalem; proindeque verba, quæ profert, non pertinere ad formam hujus Sacramenti; sed ex Ecclesiæ instituto adhiberi, ad consensum mutuum ipsorum contrahentium comprobandum.

Quæ-

Quæritur 3. an Matrimonium per procuratorem contractum, sit verè Sacramentum. Resp. affirmativè: quamvis enim aliqui Theologi id negent; probabilius tamen est sententia eorum, qui affirmant: quam sententiam post Dominum Sotum, Nav. & plures alios tuetur, & pluribus probat Isamb. disp. 3. art. 4. & Pet. de Ledesma cap. 2. de Matrîm. Et constat ex cap. finali de procuratoribus in 6. ubi Bonifacius VIII. quasdam conditiones apponens, ut procurator idoneus sit ad Matrimonium contrahendum, ex consequenti satis apertè declarat, Matrimonium per procuratorem contrahi posse.

Neque dicas, fieri posse, ut is, qui per procuratorem contrahit, sit in statu peccati mortalis eo tempore, quo procurator ejus consensum per verba de presenti exprimit: hoc enim non obstat, quin Matrimonium illius sit verè Sacramentum; quamvis nullam ex eo gratiam ob dispositionis defectum recipiat.

Est autem hîc observandum, quod docet Isamb. ad hoc, ut Matrimonium, per procuratorem validè contrahatur, adeoque verum sit Sacramentum, quinque præsertim requiri conditiones. Prima est, ut procurator habeat speciale mandatum ad Matrimonium nomine alterius contrahendum. Secunda, ut id exequatur per se ipsum, & non per alterum à se substitutum. Tertia, ut eo tempore quo Matrimonium per procuratorem contrahitur, is, cujus nomine contrahitur, potestatem procuratori datam non revocaverit, etiam si tam procurator, quàm persona, cum qua contraxit, revocationem ejusmodi penitus ignorent. Quarta, ut mandatum illud procuratoris sit ad contrahendum cum certa, & determinata persona. Quinta denique, ut procurator conditiones, & clausulas in mandato appositæ servet, nec illius fines excedat. Quæ quidem conditiones habentur expressæ in cit. cap. finali, & apud eundem Isamb. fusiùs explicantur.

Quæritur 4. quid de Matrimonio infidelium sentiendum sit. Resp. Matrimonium illud, quod contrahitur infideles non baptizatos, non esse Sacramentum; sicut nec illud.

illud, c
altera
ribus p
conve
suscep
& sign
omni
tum, u
ma, &
tero co
conve
clesia
infide
tamen
est, ad
sim pr
deli; u
alter i
de div
non, si
morta
cunda
Henri
cum i
gem e
po

illud, quod contraheretur inter personam baptizatam, & alteram non baptizatam, ut docet Tol lib. 7. cap. 9 & pluribus probat Isamb. art. 3. Quod si ipsi infideles ad fidem converterentur, & baptizarentur, tunc eo ipso, quod post susceptum Baptismum consentirent inter se cohabitare, & signo aliquo declararent, eorum Matrimonium fieret omnino ratum, & indissolubile, ac proinde Sacramentum, ut docent Eckius, Henricq. Bellarm. Petr. de Ledesma, & alii apud Laym. part. 2. cap. 3 de Matrim. Si verò altero conjugum in infidelitate remanente, alter ad fidem converteretur, & baptizaretur; quamvis olim primis Ecclesie temporibus indultum fuisset, ut conjux fidelis cum infideli cohabitare posset, ut constat ex 1. Corint. 7. postea tamen, crescente fide, & numero fidelium, Ecclesie visum est, ad cavenda perversionis pericula aliaque mala universim prohibere cohabitationem conjugis fidelis cum infideli; ut constat ex cap. *Judai saepe*, caus. 28. quæst. 1. Imò si alter infidelium conjugum (ut edixit Innoc. III. cap. *Quantò*, de divortiiis) ad fidem convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Addit Laym. supra ex Soto, Henricq. & aliis, cum hodie cohabitatio conjugis fidelis cum infideli omnino prohibita sit, probabile esse, conjugem ex infidelitate ad fidem conversum, & baptizatum, posse transire ad alias nuptias; quamvis alter conjux in infidelitate remanens pacifice, ac sine injuria cohabitare vellet.



SECTIO

SECTIO II.

Quenam requirantur ad hoc, ut Matrimonium validè contrahatur.

AD Matrimonii validitatem quatuor præsertim requiruntur. Primum est, ut contrahentes liberum consensum præbeant, illumque de præsentibus per verba aliqua, aut signa exteriora exprimant. Ita expressè habetur in Catech. Rom. part. 2. cap. 8. Atque in primis requiri consensum liberum, ita ut, si ex parte alicujus contrahentium liber ille consensus desit, Matrimonium nullum sit, patet ex cap. *Cum locum*, & cap. *Tua fraternitati* de sponsalibus; item ex cap. *Sufficiat*, & cap. *Si quippe*, 27. quaest. 2.

Ex quo sequitur, Matrimonium contractum ex gravi aliquo metu iniuste incusso esse invalidum, ut constat ex cap. *Veniens*, de sponsalibus & cap. 2. de eo qui duxit in Matrimonium. sive tale Matrimonium irritum sit ex divini iure naturali, ut existimant Scot. Nav. & alii apud Lessium in præf. Theolog. de Matrim. cap. 4. dub. 8. sive saltem iure Ecclesiastico, ut Ioan. Maior, Palud. Sot. & alii apud eundem asserunt. Debet autem esse metus gravis, seu cadens in constantem virum, ut dicitur cit. cap. *Veniens*, & capite *Cum locum* supra: Qualis autem metus gravis censeri debeat, id prudentis viri iudicio dignoscendum est, ut rectè monet Lessius supra: multa enim gravem motum v.g. puellæ incurerere possunt, quæ à robusto, & magno animo viro nihili fierent. Debet etiam metus ille esse iniuste incussus ad extorquendum consensum, ut patet ex cit. cap. *Cum locum*; si enim iuste incutiat a lege, vel iudice præcipiente, v.g. ut virginis stuprator eam in Matrimonium ducat, Matrimonium tali metu non redditur invalidum, ut habetur cap. *Ex litteris*, de sponsalibus.

Dubitant Doctores de metu reuerentiali; quando v. g. puella iubenti patri, vt cum tali viro nubat, contradicere non est causa, an scilicet metus ille debeat ceteri grauis adeoque Matrimonium irritum reddat? Nau. & quidam alii; quos citat Laym. part. 2. de Sacram. Matrim. c. 5. existimant, Matrimonium ex tali metu contractum, esse irritum: melius Henric. Less. & alii apud eundem docent, metum illum reuerentialem tunc solummodo ceteri grauem, ac proinde validitati Matrimonii contrarium, quando voluntati, & imperio patris, aut alterius superioris coniungitur sunt minae graues, aut aliqua sauitia; idemque dicendum, si timeatur grauis, & diu duratura indignatio patris.

Præterea consensus ille debet de presenti, vt docet S. Thom. Sot. Palud. & plures quos citat, & sequitur Petr. de Ledefma capite 5. de Matrim. & constat, tum ex capite *Tua fraternitati*, & capite *Docet de sponsalibus*, tum ex decret. Eug. dicitur quod *Causa efficiens Matrimonij est mutuus consensus per verba de presenti regulariter expressus*: ex quibus verbis habetur etiam consensus illum per verba, aut signa aliqua exteriora exprimendum esse: cum enim Matrimonium sit Sacramentum, in signo aliquo exteriori consistere debet. Diximus per verba, aut signa aliqua exteriora exprimendum esse: cum enim Matrimonium sit Sacramentum, in signo aliquo exteriori consistere debet. Diximus per verba, aut signa aliqua exteriora, qua verborum defectum supplere possunt; ut in mutis contingit, qui licet eloqui non valeant, Matrimonium tamen per signa, & nutus valide contrahere possunt, ut habetur capite *Tua fraternitati*, supra.

Secundum, quod requiritur ad Matrimonii validitatem est, ut consensus illius expressio fiat coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus: quamvis enim Matrimonia clandestinè contracta essent olim solummodo illicita; novo tamen iure (ut Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim. constitutum est) *Qui aliter, quam presense Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad se contrahem.*

de 1720

dum omnino inhabiles reddit; & huiusmodi contractus irriti
& nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit
annulat: Vbi Parochi nomine (recte observat Ifamb. de
7. de Matrim. art. 9.) intelligitur ille, qui ordinariam
contrahentes habet iurisdictionem, quales sunt Papa,
piscopus, & proprius ipsorum contrahentium Parochus
qui saltem titulum coloratum, & praesumptum in se
exteriori habeat, ut constat ex Cap. *Infamis*, 3. quaestio
Quod si contrahentes diversarum sint Parochiarum, non
requiritur, ut ambo Parochi assistant, sed sufficit ille,
cujus Parochia Matrimonium celebratur, ut ex praxi
Ecclesiae constat, & habetur in Rituali Romano, titulo
Sacram. Matrim.

Porro tam Parochi quam testium praesentia, non tantum
Physica, sed etiam moralis requiritur, ita ut intelligant,
quid agatur, & de eo testari possint, ut oblat
vat Layman, part. 2. de Matrim. cap. 4. & Petr. Le
desm. cap. 6. de Matrim. unde & testes à Concilio vocan
tur.

Quod si, post Matrimonium coram Parocho, & testibus
contractum, deprehendatur occultum aliquod impedi
mentum dirimens; tunc obtenta dispensatione satis est
ut vir, & mulier de novo consentiant in matrimonio
inter se mutuo contrahendum, & consensum illum super
aliquo exteriori sibi invicem manifestent; nec ad id
Parochi, aut testium praesentia requiritur, ut docet
var. cap. 22. num. 70. & Petr. Ledesm. supra cap. 6.
etiam refert à Pio V. summo Pontifice ita declaratum
fuisse.

Contra doctrinam superius traditam obicere possunt
aliqui, consensum clandestinum olim ad validitatem
Matrimonii suffecisse, ac proinde etiam nunc sufficere;
cùm ea, quae ad Sacramentorum substantiam
& validitatem pertinent, ab Ecclesia mutari non
possunt.

Resp. ad substantiam, & validitatem Sacramenti
Matrimonii requiri contractum validum, seu mutuam
consentientiam.

trahentium consensum validè expressum: quamvis autem Ecclesia efficere non possit, ut validus contractus non sit ad rationem hujus Sacramenti sufficiens; potest tamen ad hoc, ut contractus validus existat, certas condiciones apponere, quæ, si desint, censetur invalidus, nec proinde ad Sacramenti hujus substantiam, seu validitatem erit sufficiens.

Tertium, quod ad Matrimonii validitatem requiritur, est ætas pubertatis in utroque contrahentium; in mare quidem quatuordecim annorum completorum, in foemina autem duodecim annorum item completorum. Ita habetur ex cap. *Continebatur*, cap. *Attestatione*, & cap. ult. de dispensatione impuberum: ubi pueri, & puella ante dictam ætatè ad Matrimonium contrahendum declarantur inhabiles, nisi malitia suppleat ætatem, & ob justam aliquam causam cum illis dispensetur, juxta cap. *Vbi eodem titulo*.

Quartum denique ad validitatem Matrimonii requisitum est, ut nullum in contrahentibus subsit impedimentum canonicum, quod Matrimonium contrahendum impediatur, contractumque dirimat: de his autem impedimentis agetur infra suo loco.

SECTIO III.

Quenam requirantur, ut Matrimonium non modò validè, sed etiam licitè contrahatur.

AD DEBITAM, & licitam Matrimonii celebrationem quatuor præsertim necessaria sunt. Primum est, ut ipsi contrahentes nullius peccati mortalis sibi conscii sint: eùm enim Matrimonium sit Sacramentum vivorum; ab ijs, qui per peccatum mortui sunt, nec utiliter, nec licitè suscipi potest. Vnde Concil. Trid. sess. 24. in decreto de reform. Matrim. cap. 1. monet conjuges, ut, antequam contrahant, *vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur.* Adult. Catechis. Rom. N part, 2,

part. 2. cap. 8. eos, qui Matrimonium contrahunt, Non
 manam atiquam rem aggredi, sed divinam; in eaque pro
 singularem mentis integritatem & pietatem adhibendam.
 Requirit præterea Romanum Rituale, in ipsis contrahen-
 tibus talem præcipuorum fidei mysteriorum notitiam,
 de illis filios suos erudire possint. Quibus omnibus ad-
 gi meritò potest voluntatis rectitudo, ac intentionis pu-
 ras; ut scilicet Matrimonium, non intuitu divitiarum, pro
 luptatis, aut alterius similis rei; sed ob finem aliquem
 gratum, & honorificum contrahatur: si enim in aliis
 onibus humanis, ut rectè fiant, istud requiritur; magis
 magis in actione sacra, & religiosa, qualis est ipse Ma-
 monii contractus. Sacramenti dignitate illi annexa
 consecratus.

Secundum est, ut, antequam Matrimonium contrahatur,
 ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis
 festivi, in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denun-
 tur inter quos Matrimonium sit contrahendum. Ita
 præscribitur in cir. decret. Concil. Trid. quod & a
 Conc. Lateran. sub Innoc. III. constitutum fuerat, ut
 tur cap. ultim. de clandest. desponsat. Hæ autem denun-
 ciationes ab utriusque contrahentium Parochis fieri
 bent, si fortè ad diversas Parochias pertinent, ut im-
 menta, si quæ subsint, ex utraque parte possint de-
 docent Henriq. Sanch part. 2. de Matrim. cap. 4. alii
 Layman. à quibus denunciationibus, aut ab aliquibus
 larum potest ex justa causa dispensare Episcopus, qui
 quidem illius prudentiæ, & iudicio relinquitur, ut
 præfato decreto declaratum est.

Cæterum, quantum temporis requiratur ad hoc,
 quis censeatur esse alicujus Parochiæ; quid item factu
 pus sit, cum quis à paucis diebus, aut hebdomadibus
 rochiæ, aliquam incolere coepit; aut quando factis
 nunciationibus, notabile aliquod tempus elapsum est,
 tequam Matrimonium contraheretur; consulere quæ
 debet particularem consuetudinem, aut Rituale
 primum cujusque diocesis; sicut & in aliis similibus
 P
 tur
 mu

cultatibus, quarum resolutio à constitutionibus, aut moribus localibus petenda est, illisque deficientibus iudicium Episcopi exquirendum.

Tertium est, ut tempore apto, & convenienti celebretur. Matrimonium, serveturque interdictum Ecclesie prohibentis, celebrationem nuptiarum à prima Dominica Adventus, usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum, usque ad Octavam Paschatis inclusive, ut habetur in Conc. Trid. sess. 24. cap. 10. de ref.

Quartum denique est, ut Matrimonium à filiis familias cum consensu parentum contrahatur: quamvis enim Matrimonium in vis parentibus contractum, si aliæ conditiones necessaria observentur, validum sit, ut definitum est in Conc. Trid. in decret. de ref. Matrim. cap. 1. certum est tamen, graviter peccare filios familias, si in vis rationabiliter parentibus, vel eorum consensu non requisito, contrahant Matrimonium, ut ex communi Theologorum consensu probat Petr. Ledes. cap. 8. de Matrim. & Gama. cap. 11. de eod. ubi rectè observat, quòd si pater aut mater inducere vellent, ad nuptias illicitas, vel contra rectam rationem; v. g. si juberent filium ducere uxorem hæreticam, aut infamem, vel malis moribus præditam, vel quam ipse filius nullo modo tanquam conjugem amare posset; & è contrario si parentes nolint permittere filiis, ut contrahant, sed domi suæ retinere perpetuò velint, ut servos: in his, & similibus casibus, in quibus parentes honestam, & Christianam libertatem in Matrimonio contrahendo impedire vellent, filii obedire non tenerentur. Quæ autem de parentibus, eadem similiter intelligi debent de tutoribus, & aliis, quorum potestati filii familias subsunt.

SECTIO IV.

Quinam sint Matrimonii effectus.

Praeter gratiam sanctificantem, quæ per hoc Sacramentum confertur, quod illicum aliis Sacramentis commune est, & gratiam Sacramentalè, quæ illius propria

N a e

est, & peculiaris, consistitque in quibusdam specialibus gratiæ actualis auxiliis, quæ hujus Sacramenti in conjugibus opportuno tempore conferuntur, ad ipsius Matrimonii officia debite, ac rectè obeunda, ut fufius explicat Petr. Ledes. cap. 1. de Matrim. tres sunt præterea hujus Sacramenti effectus, quos alio nomine bona Matrimonii vocare Theologi solent, scilicet Sacramenti insolubilitas, prolis legitima susceptio, ac pia educationis thori conjugalis fides. De singulis breviter hic aliquid notandum est.

Atque in primis certum est, Matrimonium inter Christianos legitimè contractum, & ab ipsis consummatum esse omnino insolubile quoad vinculum. Id enim constat, tum ex scriptura: S. Marc. 10. & S. Luc. 16. ubi Christus Dominus hanc de Matrimonio Christianorum legem tulit; *Quicumque dimiserit uxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit super eam* tum ex Conc. Trid. sess. 24. can. 5. & 7. de ref. Matrim. ubi anathema profertur in eos qui dixerint propter adulterium, hæresim, aut aliquamquamlibet causam Christianorum Matrimonia dissolvi posse.

Dicit aliquis, S. Matth. 19. Christum Dominum dixisse uxorem dimitti posse ob fornicationem.

Resp. cum S. Aug. Lib. de adult. conjug. c. 11. posse dimitti, quoad thorum, & cohabitationem, non verò separari quoad ipsius Matrimonii vinculum.

Certum est quoque Matrimonium, ratum quidem, non adhuc consummatum, quamvis sit verum Sacramentum, solvi tamen posse, etiam quoad vinculum, si conjugum emittat solemne votum religionis, ut dicitur in Concil. Trid. sess. 24. can. 6. & ea de causa cap. *publico*, de conversione conjugatorum, secundum communem Doctorum interpretationem injungitur iudicium conjugum de religionis ingressu ante Matrimonii confirmationem deliberanti bimestre spatium definiri, in quo quod, vel propositum religionis exequatur, vel contrarium debitum reddat.

Quod spectat ad bonum prolis, certum est Matrimonium à Deo institutum esse ad generis humani conservationem, & multiplicationem; imò ad ipsius Ecclesiæ propagationem, & ad complendum numerum electorum; proindeque graviter peccare conjuges, qui in ipsius Matrimonii usu aliquid faciunt, quo generatio prolis impediatur, si tamen ex amore virtutis, & ad liberius perfectiusque Deo in servendum, pari consensu continentiam servare vellent; haud dubiè excellentiorem adhuc viam sequerentur: quod fusè docet S. Aug. Epist. 45 quæ est ad Armentarium & Paulinam conjuges, quos ad servandam continentiam, quam pari consensu voverant, efficaciter hortatur; & lib. 2. de consensu Evang. cap. 1. id ipsum probat, ex castissimo conjugio, quod inter sanctissimam Virginem Deiparam, & S. Ioseph dignissimum ejus sponsum intercessit, sine ullo virginitatis detrimento, cujus flos in utroque illibatus permansit; quorum proinde exemplo dicit, *Magnificè insinuari fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentia, posse permanere, vocariq. conjugium; non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

Quod denique ad thori conjugalis fidem pertinet, tria præsertim ab ipsis conjugibus exiguntur. Primum est, ut conjuge vivente alter conjux cum alia persona non contrahat, nec ullo modo permisceatur; imò nec ullum illegitimum affectum deliberatè admittat; & quantumvis alter conjugum diutissimè absit, nec sciri queat, utrum adhuc vivat, an verò è vita migraverit; nunquam licet ad alias transire nuptias, donec de illius morte certò constet, ut habetur cap. *Dominus*, de secundis nuptiis.

Secundum est, ut ambo coniuges mutuò cohabitent, & mutua sibi obsequia in administranda re familiari, & filiorum educatione præstent; ad quod quidem reciprocè obligantur, & etiam cogi possunt, tum ab Ecclesiastico iudice, tum à sæculari, iuxta cap. *Litteras* de restitut. spoliatorum. Cùm autem vir sit caput uxoris, & familiæ, ut dicitur Eph. 5 tenetur uxor ad obediendum viro in his, quæ ad obediendum viro in his, quæ ad familiæ administrationem

onem pertinent; & vicissim obligatur vir ad alimenta, alia vitæ subsidia uxori, ac reliquæ familiæ præbere eumque ad virum pertineat, pro arbitratu suo domicilium eligere, ac mutare, vxor eum sequi tenetur; vt habetur ex cap. *Vnaquæque* 13. quæst. 2. & ex communi Theologorum consensu docet Nau. cap. 14. num. 20. vbi tamē rectè monet, vxorem non teneri cum gravi corporis, vel animi incommodo sequi virum, v. g. si ad bellum proficiscatur. &c. cui subscribunt Sor. Sanch. & alii apud Laym. part. 3. de Matrim. cap. 2.

Sunt etiam aliqui casus, in quibus possunt coniuges citè ab invicem quoad thorum, & cohabitationem separari, remanente tamen semper vinculi conjugalis indissolubilitate; vt quando vterq; coniux pari consensu religionem ingreditur. Item diversa ratione, si alter coniugum adulterium committat; coniux innocens potest ab eo quoad thorum & cohabitationem separari; quoad thorum quidem, propria autoritate; quoad cohabitationem verò, non nisi autoritate iudicis, ut docent S. Thomas, Bona. & alii, quos citat Sanch. lib. 10. disp. 12. si tamen coniux innocens alteri offensam remittat, ipsumque thori societatem recipiat; non poterit amplius ab eo separari, ut ex communi Theologorum consensu docet Sanch. Præterea si coniux coniugi sine gravi periculo corporis, vel animi cohabitare non possit, v. g. ob nimiam sevitiā, ob perditos profligatosque mores, & alias similes causas, quæ iudicis arbitrio relinquuntur, sine cuius autoritate hæc separatio fieri non debet, ut fuse docet idem Sanch. eod. lib. disp. 17. & 18.

Tertium denique est, ut vir & uxor sibi mutuò debitum conjugale reddant: nam, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde precipit, ut uxori vir debitum reddat: similiter autem & vir viro, idque siue debitum illud conjugale expressè petatur, siue tacitè, ut docet S. Thomas In 4. dist. 32. q. 1. art. 2. q. 1. Hæc autem obligatio mutua, reddenda

coniugale debitum, est sub peccato mortali, si alter coniugum seriò, instanter, & rationabiliter illud petat, ut ex communi Theologorum consensu docet & fuse probat Sanch. lib. 9. disp. 2.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus coniux ab obligatione reddendi debiti eximi censetur; ut quando unus coniugum adulterium commisit, tunc enim coniux innocens debitum ipsi negare potest: item, si ex redditione debiti timeatur gravissimum aliquod corporis incommodum; aut si uxor prægnans sit, & proli conceptæ timeatur probabile mortis periculum: quæ omnia fusiùs explicata apud eundem Sanch. toto lib. 9. citato videri possunt.

SECTIO V.

Quænam sint Matrimonii impedimenta.

SYPPONIMVS Ecclesiam pro data sibi à Christo Domino in omnes fideles autoritate, potuisse ex causis rationalibus certa quædam impedimenta Matrimonii constituere, ut expressè definitum est in Conc. Trid. Sess. 24. can. 4. & constat ex antiqua traditione ipsius Ecclesiæ: olim siquidem, teste S. Aug. Lib. 15. de ciuit. c. 16. legibus Ecclesiasticis prohibita erant Matrimonia inter consobrinos, & temporibus S. Gregorii Papæ eodem iure Matrimonia irrita erant usque ad septimum gradum inclusivè, ut habetur ex cap. Nulli, & cap. De consanguinitate, 35. quæ sit 2. & 2. cum tamen hodie nec affinitas, nec consanguinitas Matrimonium impediat, nisi usque ad quartum gradum, ut infra explicabitur.

Hæc autem impedimenta duplicis sunt generis; quædam enim Matrimonium solummodò contrahendum impediunt, alia etiam contractum dirimunt.

Impedimenta prioris generis quinque communiter à Theologis numerantur, ut videre est apud Bonac. Quæst. 3. pu. 14. de impedimentis Matrim. Primum est, Ecclesiæ interdictum, seu prohibitio, ut habetur ex cap. Capellanus, de feriis. Secundum est, contractus sponsali-

Sponsaliorum initus cum persona aliqua, ut ex infra de-
 cendis plenius intelligitur. Tertium est, votum simple-
 castitatis, aut religiosi status amplectendi, vel suscipiendi
 sacros Ordines, vel non nubendi, ut constat ex cap. *Si quis
 votum*, 27. quæst. 1 & cap. unico, de voto in 6. & qui cum
 huiusmodi voto Matrimonium contrahit, dispensatione
 illius minime obtrita, peccat mortaliter: & quamvis red-
 dere possit conjugale debitum, illud tamen licite petere
 non potest, ut ex communi Theologorum consensu docet
 Bonac. Suprà. Quartum est cognatio spiritualis, quæ con-
 trahitur per Catechismum, quæ tamen per Concil. Tri-
 sublatam est, ut docent Henriq. Regin. Sanch. & alii apud
 eundem Bonac. Quintum denique est crimen, ut uxoricid-
 ium, Presbytericidium, incestus, & quædam alia, quæ
 ab eodem Bonacina enumerantur, ob quæ olim quasi po-
 nitentiæ loco Matrimonium interdictum erat: verum
 Sot. Cord. Henriq. Nav. & plures alii quos citat Laym. Pan-
 4 de Matrim. cap. 5. existimant, hæc criminum impedi-
 menta fuisse per diuturnam consuetudinem penitus abro-
 lata, adeo ut Nav. dicat, se non meminisse tota ætate
 super eiusmodi impedimento petitam fuisse dispensa-
 tionem.

Impedimenta dirimentia duodecim communiter
 Theologis numerantur, quæ memoriæ iuvandæ causâ
 tribus versibus comprehensa sunt.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
 Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
 Si sis affinis, si consummare nequibus.*

Primum impedimentum est, *Error*, qui dupliciter con-
 tingere potest; vel circa substantiam personæ, ut si quis
 ducat Annam existimans esse Catharinam; vel circa ipsius
 personæ qualitatem, ut si quis ducat Annam credens esse
 nobilem; divitem, &c. quam postea comperit esse igno-
 bilem, pauperem, &c. Et priori quidem modo reddit Mat-
 rimonium invalidum; non item posteriori, ut ex communi
 Theologorum consensu docet Bonac. Suprà pu. 1.

Secundum est, *Conditio*; quando quis contrahit cum
 personâ

persona aliqua servilis conditionis, existimans esse liberam: tale enim Matrimonium Ecclesiastico iure irritum est, ut habetur ex cap. 2. & ult. de coniugiis servorum. Veram eiusmodi impedimentum hodie inter Christianos rarissimè contingit, nisi forè respectu eorum, qui sententia iudicis per totum vitæ tempus ad remos damnati sunt, aut carceri perpetuò mancipati: tales enim, cum sint *Servi panni* ut iura loquuntur, servilis conditionis leges subire debent.

Tertium est *votum*, solemne scilicet, quod emittitur in professione status religiosi: tale siquidem votum non modo impedit Matrimonium contrahendum (quod etiam facit votum simplex castitatis) sed etiam contractum dirimit, ut habetur ex Clement. unica, de consanguinitate, & ex Conc. Trid. sess. 24. can. 9.

Quartum est *Cognatio*, quæ triplex à Theologis distinguitur, naturalis scilicet, spiritualis, & legalis. Cognatio naturalis, quæ etiam consanguinitas vocatur, est vinculum personarum, quæ ab eodem proximo stipite per carnalem propagationem descendunt. Solent autem Theologi in consanguinitate considerare lineas & gradus. Nomine lineæ intelligunt seriem seu ordinem personarum consanguinitatem inter se habentium; sive linea illa sit recta, qualis reperitur inter ascendentes & descendentes; sive sit transversa seu collateralis, qualis est inter personas, quæ quamvis ab eodem stipite procedant, à se tamen invicem non descendunt. Nomine verò gradus expriment distantiam maiorem vel minorem unius personæ ab altera secundum lineam consanguinitatis. Porro ad distantiam illam dignoscendam, & computandos ipsius consanguinitatis gradus, tres regulæ à S. Doctore In 4. dist. 40. q. 1. a. 2. & aliis communiter Theologis assignantur.

Prima regula hæc est: *In linea recta ascendentium & descendentium tot numerantur gradus, quot persona, unâ demptâ: unde pater & filius in primò consanguinitatis gradu coniuncti esse dicuntur; avus & nepos, in secundo, & sic de aliis.*

N 5

Secunda

Secunda regula: In linea collateralis, quot gradibus prope
distant à communi stipite, totidem etiam inter se distant: quia
eum frater, & soror uno tantum gradu distant à Patre, ce-
sentur etiam uno tantum gradu inter se distare; patruus
verò duobus gradibus, & sic de aliis.

Tertia regula: Si consanguinei à communi stipite in quibus
distant; tunc quot gradibus is, qui magis remotus est, distat à
communi stipite, tot etiam gradibus inter se distant: Iuxta quam
regulam patruus censetur esse in secundo gradu consangu-
nitatis cum liberis fratris sui; quia liberi illi duobus gra-
dibus à communi stipite distant. Quamvis autem jure
quo impedimentum cognationis naturalis extendere-
tur usque ad septimum gradum, ut supra dictum, hodie
tamen non nisi ad quartum gradum inclusive extenditur,
habetur ex cap. Non debet de consanguinitate & affi-
nitate.

Cognatio spiritualis est propinquitas secundum
Ecclesiastici dispositionem, orta ex administratione, vel
susceptione Baptismi; inter susceptores & baptizatum
aliosque patrem ac matrem, necnon inter baptizantem
Baptizatum, ejusque patrem ac matrem, ut in Conc. Trid.
Sess. 24. c. 2. de ref. Matrim. constitutum est: quod etiam
similiter intelligendum est de Confirmatione, ut ibidem
declarat: ex quo sequitur (quod hic obiter advertendum
est) nullam inter ipsos susceptores contrahi cognationem
proindeque patrum posse valide ac licite ducere illam
in Matrimonium, cum qua simul alienum filium e sancto
fonte suscepit, ut constat ex Bulla Pii 5. quae incipit
Quasi
lius vicam. Observat etiam Bonac. Quæst. 3. de Imped. Ma-
trim. pu. 5. ex Suare, Sanche, & aliis, illum, qui suscipit
rum, quando privatim & jure sollemnitate baptizatur,
nullam cognationem contrahere; licet is, qui Baptismus
ejusmodi confert, contrahat cognationem spirituales
cum baptizato, & patre ac matre illius. Excipitur casus
in quo maritus conjugis suae prolem in necessitate bap-
tizat; tunc enim nullam cum ea contrahit cognationem,
habetur cap. Ad limina, 20. quæst. 1.

Cognatio denique legalis . est propinquitas persona-
rum ex adoptione proveniens ; adoptio vero est extranea
personæ in filium aut filiam legitima assumptio. Et hæc co-
gnatio legalis contrahitur primò inter ipsum adoptantem &
adoptatum, adoptatiq; descendentes usque ad quartum
gradum: secundo inter uxorem adoptantis & adoptatum;
tertiò inter filios adoptantis & adoptatum ; ut constat ex
cap. *Per adoptionem* 3. quæst. 3. & cap. unico, de cognat. leg.
Hæc autem cognatio non provenit nisi ex ea adoptione,
quæ fit secundum leges, quæ proinde super hac re consuli
debent.

Quintum est, *Crimen* ; quod quidem est duplex, ut habe-
tur ex cap. *Si quis vivente* 31. quæst. 1. cap. *significavit* & cap.
super hoc de eo, qui duxit. Primum est, homicidium conju-
gis; quando scilicet maritus uxorem per se, vel per alium
ferro, & veneno occidit eo fine; ut cum alia muliere cædis
illius conscia, . & in illam consentiente Matrimonium
contrahere possit: quod etiam similiter de uxore intelli-
gèbet. Aliud crimen est adulterium; quando alter conjux
committit adulterium; & pollicetur ei, cum quo adultera-
tur, se contracturum cum eo post obitum conjugis, & hæc
promissio ab eo acceptatur: vel quando post Matrimo-
nium de presenti contractum cum uno, cum altero etiam
per verba de presenti contrahitur, & ab utroque criminis
illius conscio adulterium committitur: vel etiam quando
alter coniux adulterium cum alio commisit, & postea in-
terficit coniugem; ut cum adultero; quamvis illius cædis
minimè conscio, contrahere possit.

Sextum est *Cultus disparitas*: quando baptizatus contra-
hit Matrimonium cum foemina nondum baptizata, aut
mulier non baptizata cum viro non baptizato. Hoc im-
pedimentum colligitur tum ex Concilio Tolet. 3. ca-
pit. 14. tum ex ipsius Ecclesiæ usu communi, qui
sufficiens est ad impedimentum inducendum, quam-
vis non sit in iure expressum, ut observat Bonacina Suprà
pu. 7.

Quod

Quod autem spectat ad Matrimonium Catholicæ p
sonæ cum hæretica, quamvis validum sit, est tamen illegi
tum, ut pluribus probat Laym. cap. 14. de impedimentis
Matrimonii; ubi etiam monet experientia comper
esse, ex eiusmodi Matrimonio tot & tanta sequi spiritu
lia incommoda, tum ipsi coniugi Catholico, tum liberi
ac Christianæ reipublicæ, ut plerumque charitatis legi
mnino adversetur: in quo casu (ut idem author dicit) n
quidem summus Pontifex id dispensativè permittere po
test; nisi probabilis aliqua spes subsit ex eiusmodi Mat
rimonio longè maiores fructus spirituales obventuros esse
quorum intuitu incommoda illa tanquam minora utro
que tolerari possint.

Septimum est *vis*, seu metus gravis iniuste incussus
quando quis vi aut metu eiusmodi adigitur ad contra
hendum Matrimonium, quod nullo modo contrahitur
nisi ad id eo modo compulsus fuisset, de quo dictum est
suprà sect. 2.

Octavum est *Ordo*: quando quis scilicet initiatus est
certis Ordinibus, vel aliquo illorum: tales enim Ordines
votum solemne castitatis, quod annexum habent, Mat
rimonium contrahendum impediunt, & dirimunt contra
ctum, ut habetur ex cap. unico, de voto in 6. & ex Conc.
Trid. sess. 24. can. 9.

Nonum est *Ligamen*, id est, obligatio, seu vinculum
terius Matrimonii rati cum coniuge adhuc vivente
quamdiu enim hoc vinculum durat, Matrimonium con
trahendum quovis alio contrahendum impedit, ac dirimit: idque no
modo iure Ecclesiastico, ut patet ex cap. 1. & ultimo
sponsa duorum, sed etiam iure divino; ut expressè declar
atum habetur in Conc. Trid. sess. 24. can. 2. & satis constat
ex prohibitione Christi Domini s. Matth. cap. 19.

Decimum est *honestas*, publica scilicet, ratione cuius
ritur impedimentum, tum ex sponsalibus validè contra
ctis, tum ex Matrimonio rato & nondum consummato
ut habetur ex cap. *Sponsam* & cap. *Iuvenis* & cap. *Ad audien
tiam* de sponsalibus. Quamvis autem iure antiquo impo
nuntus

mentum istud protend eretur usque ad quartum gradum, iure tamen novo in Concil. Trid. Sess. 24. c. 3 de ref. Matrimon. constitutum est, ut impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum non nisi ad primum gradum extendatur; illud autem, quod ex Matrimonio rato provenit, secundum iuris antiqui dispositionem relictum est; proindeque ad quartum gradum extenditur, ut constat ex decreto Pii V. quod incipit. *Ad Romanum.*

Vndecimum est *Affinitas*, quæ est attinentia, seu propinquitas quarundam personarum ex copula carnali proveniens, ratione cuius fit, ut mulier coniugata per consummationem Matrimonii affinis fiat consanguineis mariti; & vicissim maritus consanguineis uxoris. Hæc autem affinitas, si oriatur ex copula licita, usque ad quartum gradum extenditur; ut constat ex capite *Non debet*, de consanguin. & affin. si ex copula illicita secundum gradum non excedit, ut in Conc. Trid. constitutum est sess. a. 4. cap. p. 4. de refo. Matrim.

Docent autem Theologi, affinitatem non parere affinitatem, proindeque duos fratres v. g. validè ac licitè posse duas sorores in Matrimonio ducere; filiumque similiter posse Matrimonium cum illa contrahere, cuius matrem pater sibi coniugio copulavit. quod pater ex cap. *Super his*, de consanguin. & affin. Quod si affinitas Matrimonio iam contracto superveniat, ut si maritus adulterium committat cum uxoris consanguinea in primo vel secundo gradu; tunc illius ratione maritus conjugale debitum ab uxore petere licitè non potest, quamvis eidem reddere teneatur, ut ex communi Doctorum consensu docet Bonacina supra pu. 12.

Duodecimum est *Impotentia*, id est inhabilitas perpetua ad consummandum Matrimonium, sive illa se teneat ex parte viri, sive ex parte mulieris; dummodo fuerit eo tempore, quo Matrimonium contractum est, non verò postea subsequuta sit. Et hoc impedimentum dirimit Matrimoniam non modò iure Ecclesiastico, ut patet ex cap. *Quod sedem*, de frigidis, & maleficiatis; sed etiam ipso iure natu-

ut

ur ex communi Theologorum doctrina probat Bonae
 supra. pu. 13. Quod si (ut idem author subdit), dubiteret
 num impotentia sit perpetua, . . . permittuntur coniuges
 mul habitare per triennium, . . . ut Matrimonium consum-
 ment; quo tempore si nequeant consummare, non au-
 plius permittuntur cohabitare; ad consummandum Ma-
 trimonium; quia iudicatur adesse impotentia perpetua,
 consequenter invalidum esse Matrimonium; ideoque
 parationem esse faciendam propter periculum incont-
 nentiae: secluso tamen illo periculo iura permittunt, ut
 habeat tantum pro sorore, quam non potest habere ux-
 rem; ut constat ex cap. *Laudabilem*, & cap. *Requisivisti*,
 quæst. 1.

Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de ref. Matrim. adiunxit detri-
 mum tertium impedimentum; scilicet *Raptum*; de re vitæ.
Inter raptorem, & raptam, . . . quamdiu ipsa in potestate raptoris
manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod quidem
 decretum etiam locum habere existimant Henricus, Rebellus,
 Zerola; Petrus de Ledesma & alii apud Aug. Barbosa
 remissionem ad titatæ sess. 24. c. 6. quando puella consentit
 quidem in raptum, sed invitis parentibus; quamvis id
 gent Regin. Sanch. Lessius, & alii apud eundem.

Quæres; quis in supra dictis impedimentis dispensare
 possit. Respond. 1. Romanum Pontificem; pro summa
 quam obtinet in Ecclesia; potestate dispensare posse in
 omnibus impedimentis, quæ iure Ecclesiastico Matrimo-
 nium impediunt, aut dirimunt, ut ex communi Theolo-
 gorum omnium consensu docet Bonae, sup. pu. 15. Resp. 2. Ep-
 piscopum dispensare posse in impedimentis non dirimen-
 tibus, excepto voto castitatis perpetuæ & religionis; imo
 etiam aliquando in impedimentis dirimentibus, quæ
 post contractum bona fide Matrimonium deprehenduntur;
 quando scilicet impedimentum est occultum, & Ma-
 trimonium manifestum, ipsique coniuges non possunt
 absque magno scandalo separari, nec ad summum Pon-
 tificem patet recursus propter paupertatem, aut alias ma-
 gnas difficultates. Ita Petrus de Ledesma, Peres, Sanchez,
 Valentia

Valentia, Riccius, & alii apud eundem Bonacinam supra, qui etiam censent, non modò post contractum Matrimonium, sed & antequam contrahatur, Episcopum posse ob urgentissimam aliquam necessitatem ex praesumpta summi Pontificis tacita facultate in iisdem impedimentis dirimentibus interdum dispensare.

 S E C T I O . V I .

De sponsalibus.

SPONSALIA, quæ à spondendo, seu sponte promittendo dicta sunt, significant spontaneam promissionem mutua[m] inter virum & foeminam de Matrimonio in futurum contrahendo: sponsaliorum enim obligatio non contrahitur per solùm desiderium, aut propositum contrahendi Matrimonii, nisi intercedat promissio, eaq; mutua & reciproca, ut docet & probat Sanch. lib. 1. de sponsal. disp. 3. disp. 12. nec ad illius validitatem requiritur praesentia Parochi, aut testium, ut observat idem Sanch. quamvis servari debeat laudabilis illa consuetudo, quæ in universa propemodùm Ecclesiâ vim legis obtinuit, ut antequam Matrimonium per verba de presenti contrahatur, sponsalia in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho, & testibus celebrentur: super qua re consuli debent cuiusque Diocesis consuetudines, & leges particulares.

Ad validitatem autem sponsaliorum requiritur in primis, ut contrahentes saltè[m] ætatis annum septimum expleverint, ante quam ætatem ad sponsalia contrahenda censentur inhabiles, ut constat ex cap. *Literas*, & cap. *Accessit*, de desponsatione impuberum. Requiritur præterea, ut usum rationis habeant, & cum ea deliberatione operentur, quæ ad plenum & perfectum consensum necessaria est, ut docet Tolet. li. 7. c. 20. Requiritur denique, ut verè & ex animo promittant, atque se obligare intendant: qui enim sic tantùm promitteret, graviter quidè[m] peccaret, & ad

& ad compensanda damna ex promissionis illius fictione
provenientia teneretur; nulla tamen in foro conscientie
contraheret sponsalia, ut fuse docet & probat Sanch. *Supra*
disp. 9. & seq.

Quæres 1. quænam sit obligatio sponsaliorum. Resp. in
veris sponsalibus, id est, ex promissione illa mutua inter
virum & mulierem, sive privatim, sive in facie Ecclesiæ
facta, oriri obligationem sub peccato mortali ad illam
parte utriusque adimplendam. Ita S. Thom. Palud. Sec.
Henriq. & alii, quibus subscribit Sanch. *disp. 27. unde*
alter sponsorum promissis stare non velit, per iudicem Ec-
clesiasticum, etiam adhibitis censuris, ad illorum execu-
tionem compelli potest; ut habetur cap. *Ex litteris* sponsali-
libus, nisi forte attentis circumstantiis, & propter diffi-
cultates perpetuas, aliaque gravia, mala, & scandala, quæ
inveniantur, & coactis nuptiis merito timeri possunt, aliter
faciendum esse iudex prudenter arbitretur; unde etiam cap.
Requisivit, de sponsalibus, & Matrimonio dicitur, *in*
casu monitione, potius quàm coactione opus esse.

Quæres 2. quibus modis sponsalia dissolvantur. Resp.
id variis, & multis modis fieri posse: præcipuos hic, & ma-
gis ordinarios subiicimus.

Solvuntur igitur sponsalia 1. per mutuum consensum
& mutuam ipsorum sponsorum remissionem libere
factam, ut ex communi Theologorum consensu docet Bo-
nac. qu. 1. de sponsal. pu. 10. Secundò per ingressum religio-
nis alterutrius sponsorum, etiam si professionem non
mittat, ut habetur cap. *Ex publico* de conversione coniuga-
torum, & docet Toletus lib. 7. c. 21. & Bonacina supra pu. 11.
qui rectè ibidem subdit, quòd si quis post sponsalia
contracta virginem spe nuptiarum defloravit; tunc illi
ducere tenetur, nec religiosum statum amplecti cum
toto illius damno licitè potest. Tertiò solvuntur sponsalia
per Ordinis maioris susceptionem, ut habetur ex cap.
Scriptis 27. quæst. 2. Quarto per Matrimonium de præsen-
tibus cum altera contractum, quamvis peccet mortaliter
sic contrahit, ut habetur cap. *Sicut ex litteris*, de sponsalibus.

bus. Quinto per fornicationem unius sponsorum post sponsalia contracta, ut habetur ex capite *Quemadmodum* de iureiurando: quamvis enim qui fornicationem commisit ex parte sua obligatus remaneat ad sponsalia implenda, alter tamen innocens potest ab illis resilire si velit. Sexto denique per notabilem aliquam mutationem post sponsalia contracta supervenientem, quæ si ab initio extitisset, aut prævisa fuisset, viri prudentis iudicio à sponsalibus contrahendis merito absterruisset, ut si alter sponsorum in lepram aut alium morbum incurabilem incidat; si notabilem famæ aut bonorum iacturam patiatur; si graves inter sponsos, aut parentes illorum inimicitia oriatur; si sponsa dotem promissam afferre nequeat; si sponsus patrium solum mutare, vel vagari cum gravi sponsæ incommodo constituat; imò, etiamsi aliqua eiusmodi causa extiterit tempore sponsaliorum, nec nisi post illa contracta deprehendatur: in his enim & similibus casibus, qui iudicio viri prudentis dignosci debent, sponsalia dissolvi possunt. Ita Petrus de Ledesma, Reginaldus, Riccius, & alii apud Bonacinam. supra. puc. 8.

Quæres tertio, utrum ad solvenda sponsalia iudicis Ecclesiastici autoritate opus sit. Respond. ex Nav. Sylv. & aliis apud Layman part. 1. de spons. cap. 2. si causa solvendi Matrimonia moraliter certa sit, nulla iudicis Ecclesiastici autoritate opus esse; nisi ratione vitandi scandali, quando sponsalia publicè contracta sunt: unde etiam in multis Diocæsibus observatur, ut non liceat à sponsalibus publicè notis resilire, nisi causa prius ad Ordinarium delata & ab ipso probata.

Atque hæcenus de Sacramentis ad maiorem authoris illorum gloriam.



TRAC-